XLV. permanſit, quam in הקדמרח ad Joſuam ſequentem in modum enarrat. Johannem ſcilicet II. Alphonſi V. Succeſſorem, Judaeorum inimicum, diem anguſtiae, increpationis & exitii univerſo populo Iſraëlitico, haereditatique filiorum Jacobi, imperio ejus ſubjectae, diem, inquam, nocti magis, quam luci ſimilem, contraxiſſe; morte per feneſtras ingrediente, gladio quaevis conſumente, ita ut filia Iſraëlis tanquam caſa in deſerto loco fuerit. Hunc Johannem II. omnes Patris defuncti ſummos aulae miniſtros, provinciarum praefectos, ipſos denique cognatos, nec non Noſtrum dignitatibus exuiſſe, hanc praetendens cauſam, quod ſibi totique regno ſuo inſidias parare, & in poteſtatem Hiſpaniarum regis tradere ſtuduerint. Cum itaque ira regis indies invaleſceret, quam malevolorum hominum invidiam & calumniandi libidinem, mirum in modum auxiſſe ſcribit Noſter: Factum eſt, ut quam celerrimè regem ſubmiſſo cultu venerari juſſus *Don Iſaac*, quum in itinere in diverſorio de inſidiis à rege ſibi paratis monitus fuerit, relicta uxore, liberis, opibusque ſolus nocturno tempore aufugerit, atque in Caſtiliae regnum ubi multos docuit, devenerit, rege interim jubente, ut perſequantur Noſtrum, prehenſumque vel vivum vel mortuum adducerent; ſed cum eo potiri non potuiſſet, facultates Noſtri omnes Regem invaſiſſe. Sunt quidam è Chriſtianis, qui harum calamitatum & infauſtae fortunae cauſam *Abrabanielem* perhibent, qui proinde etiam noctu ſalutem in fuga ſibi quaeſiverit, & prout modo dictum eſt, in Caſtellae regnum ſeceſſerit. Vid. *Act. Erudit. Ann. cit. pag. 529.* A Ferdinando Catholico & regia conjuge, qui Noſtrum inter aulae miniſtros eſſe voluerunt, magna ſe clementia ornatum fuiſſe teſtatur, *praefat. in I. lib. regum*, officia ſibi impoſita ad annum usque octavum obiens. *Anno vero nono* ſive A. C. 1492. Granadae regnum integrum quum occupaſſet *Ferdinandus Rex*, in gratae mentis indicium & debitae erga Deum obſervantiae pietatisque teſtimonium,